



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jus Canonicum Ad Libros V. Decretalium Gregorii IX.

Huth, Adam

Augustæ Vindelicorum, 1732

8. De Schismaticis & ordinatis ab eis

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63433)

cultis à Tridentino concessa Episcopis, probabiter non est revocata per Bullam Cœnæ, saltem in Germania. Ratio est 1. Quia specificè & in terminis tantùm generalibus decretum alicuius Concilii generalis, ut illi censentur derogare, revocari debet, hoc non fit in Bulla Cœnæ respectu Concilii Tridentini, in quo Episcopus dicitur facultas à criminibus occultis absolvendi, ergo. Correctio jurium, quoad fieri potest, vitanda non potest autem vitari, dicendo, Bullam Cœnæ revocantem quasvis facultates absolvendi ab hæresi intelligi debere de hæresi publica & pro futuro. 3. Quòd addatur, saltem in Germania ratio est, quia pro hac speciales militantes rationes.

TITULUS VII.

De Schismaticis & Ordinatis ab eis

Q 1. Schisma quid & quoruplex sit? *Reph.* Schisma græcè, scissura latinè, est secessio seu disjunctio, quâ quis se separat à communionem & unitate Ecclesiæ Catholicæ, quatenus illa est corpus mysticum, ex universis fidelibus tanquam membris, & Rom. Pontifice tanquam capite constans. 2. Differt ab hæresi, quòd eodem omnis hæreticus sit schismaticus, licet non purè talis, quatenus scilicet deserendo fidem eandem quoad unum articulum, utpote quæ quoad veritatem una est, separat se à præcipua Ecclesiæ unitate in fide consistente; non tamen contrariè schismaticus est hæreticus; hinc

Resp. 2. Datur aliud schisma *purum*, quod descripsimus; & est dum quis S. Pontifici quò tali, licet cum agnoscat esse caput Ecclesiæ, omnesque alios fidei articulos credat, pertinaciter nihilominus detrectat obedire. *Non purum sive conjunctum cum hæresi* est, dum quis aliquem præterea negat fidei articulum.

Q. 2. Quanam sint pœna Schismaticorum? Resp. Si non purè tales sunt, omnes hæreticorum incurrunt pœnas, ut patet. *Purè autem & propriè tales* incurrunt 1. Excommunicationem majorem, quæ respectu ipsorum hodie vi *Bull. Cœn. cas. 1.* est reservata S. Pontifici, non tamen respectu fautorum ipsorum. 2. Redduntur inhabiles ad obtinenda beneficia, & Dignitates Ecclesiasticas, antequam dispensetur cum ipsis, probabilius licet jam egerint pœnitentiam, & reversi sint ad unitatem Ecclesiæ. *c. 5. de elect.* 3. Privantur ipso facto iurisdictione Ecclesiastica, ut nec excommunicare, nec absolvere, nec indulgentias concedere, aut beneficia possint conferre. *c. 1. h. t. 4.* Confiscationem bonorum incurrunt. *c. un. h. t. in 6. &c.*

Q. 3. Num Ordinationes à Schismaticis factæ, & alii actus valeant? Resp. 1. Ordinationes seu collationes Ordinum, aliorumque plerorumque Sacramentorum *validè* ab ipsis conferuntur. Ratio, quia collatio Ordinum dependet à potestate Sacramentali Ordinis, quam non amittunt Schismatici, modo substantialia observent; taliter tamen Ordinati executionem Ordinis citra dispensationem non recipiunt. *arg. c. 1. & 2. h. t.*

TI-